

monum aut hominum impiorum futuram esse, anathema sit.

82. *Infectatur eandem blasphemiam Divus etiam Augustinus, tractatu de heresibus ad Quod vult deum heresi 42. Tom. 6. Col. 20. a. scribens: Quis Catholicus Christianus vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam Origenes dicit purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegijs, atque impietatibus quamlibet maximis, finierunt, ipsum etiam postremo Diabolum, atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno DEI lucique restitui.*

83. *Alter error, qui Iudaizantium esse dicitur, Cerinthianorum sive Chiliastarum heresim ab orco revocare videtur, qui referente Philastrio, statuerunt, Cum venerit Christus de Cælo, mille annos iterum nobis concessum iri, ad carnaliter vivendum, generandum & manducandum sicut nunc fit in hoc seculo.*

84. *Heresim istam ex Iudaico intellectu prophetiarum promissionum pullulasse, testatur Eusebius. l. 7. c. 24. dum corporaliter eas exhibendas esse, Iudeorum plurimi statuerunt.*